De Crimine Falsi,

speciali respectu ad ius Suecanum habito,

Dissertatio Academica,

cuius partem priorem

consentiente Consultiss. Facultate Iurid. Lund.,

pro obtinenda venia docendi,

publico examini submittit

PHILIBERT HUMBLA,

Iurid. Philos. Cand.

In Auditorio Maiori, die XXII Iunii MDCCCXLIII.

H. a. m. IX.

Lundæ,

typis BERLINGIANIS,

MDCCCXLIII.

§. I.

Notione Criminis Falsi sensu latiori denotamus quamque actionem, qua aliquis sciens atque volens consilioque iuri repugnante apud alium opiniones excitat vel alit veritati contrarias, speciem tamen eiusdem præ se ferentes, vel alias veritatem occultat, cum ad illam aperiendam specialiter sit obligatus.

Oppositis delictis materialibus, falsum et vis delicta formalia nominata fuerunt, quia indoles horum duorum vera in ipsa forma cernitur. [1] Forma, quæ omnibus criminibus falsi communis est, in eo apparet, quod mendacium sub specie veritatis proponitur, ut alius, hac specie in errorem perductus, directe, i. e. agendo, vel indirecte, i. e. omittendo v. non impediendo, fraudatori faveat in attingendis iis, quæ spectat. Hæc crimina vero ratione materiæ quam maxime esse vaga atque indefinita ex eo apparet, quod partim consilium eius, qui fallit, ad iura plurima maximeque varia violanda tendere potest, et partim res atque rationes vel innumerabiles sunt, in quibus species locum veritatis tenere potest.

Deficientibus conscientia eius, quod veritati repugnat, et voluntate alium in errorem perducendi, actiones fallaces, ut ex ipsa

---

[1]) Vide *Abegg*, *System der Criminalrechtswissenschaft*, Königsberg, 1826, ubi delicta privata ita sunt divisa. A *Feuerbach* talis divisio delictorum *vage Verbrechen* dictorum facta est. Vide eiusdem *Lehrbuch des peinlichen Rechts*, ed. 12. Giessen, 1836.

rei natura patet, cogitari nequeunt. Mendacium enim nota est omnibus fallaciis necessaria; nemo vero mendacii noxius est, cui non constat, verba vel facta eius contraria esse veritati. Si quis igitur nescius de via veritatis decedit, et eo ipso errorem apud alium excitat, is sane non magis fallaciæ quam mendacii noxius haberi potest; ipse in errore versatus est, et imprudenter, minime vero fallaciter eum egisse dicere licet. Si quis insciens alium in errorem duxit, is nullo iure dici potest voluisse mentiri vel alterum fallere, quia id, quod in conscientia eius non fuit, omnino velle non potuit. Si contra sciens alterum in errorem perduxit, tunc etiam voluerit necesse est, quia in tali casu e libero eius arbitrio, utrum ageret nec ne, pependit.

Omnes fallaces actiones præceptis ethicis contrarias esse, hoc loco probari non opus est; iam vero quæritur, ex qua re pendeat, an actio fallax iuri criminali contraria sit, seu aliis verbis: quæ nota ulterius requiratur, ut indoles delicti in actione fallaci insit. Hoc a consilio pendet, quod actione fallaci exsequi vult fraudator. Si ille eo tendit, ut iura aliena violet, vel commoda illegitima sibimet ipsi aliisve paret, in illo consilio exsistit conditio, ex qua pendet indoles illa delicti, de qua iam agitur. Cum actionem quandam fallacem tali consilio suscepit fraudator, iam operam contulit in finem iuri repugnantem attingendum, unde efficitur ut semper etiamsi iam magis iam minus, dignus sit, qui puniatur. Gravitas vero poenæ, quam meruit, magna ex parte pendeat ab auctoritate iurium, quæ violare voluit, necesse est; negari enim non potest, qui parvi modo lucri obtinendi caussa falsum committat, eum minori poena dignum esse, quam qui tam malignus est, ut damnum gravius vel etiam necem falso quodam alii afferat. Si animum abstrahamus a consilio, quod penitus in animo alit fraudator, actio fallax per se etiam ad poenam augendam valere potest.

Verum quidem est, in ipsa actione ita percepta nullam, cur adhibenda sit poena, rationem involvi, exsistente autem conditione illa, cuius supra mentionem fecimus, fraudator eo graviori poena mulctandus est, quo maiori hominum numero actio eius fuit periculosa, aut quo maiorem adhibuit artem atque calliditatem, quibus alii facilius decipiantur.

Verbis: "vel alias veritatem occultat, cum ad illam aperiendam specialiter sit obligatus," quæ in fine definitionis nostræ occurrunt, talia falsa præcipue spectamus, quibus fallitur fides, ad quam observandam specialis adest obligatio, ex. gr., perfidia procuratoris, qui in aliena caussa agenda acta quædam retinet occultatque, quibus nititur ius hominis principalis, vel qui in fraudem eiusdem adversario opem præstat. Difficillimum est decidere, quæ genera perfidiæ ad falsum referenda sint. A veritate quidem abhorrere non videtur, omnia delicta perfidiæ ad falsum pertinere, cum perfidus homo sciens atque volens consilioque iuri repugnante apud eum, cui fidem præstare debet, falsam fidei suæ alat opinionem; observandum vero est, in perfidia sæpe indolem atque formam falsi non nisi contorte et indirecte inesse, ut sine dubio notionem falsi iusto latius extenderemus, si huic omnia delicta, quibus fides fallitur, adderemus, cum etiam, ex. gr., adulterium omniaque delicta, quæ in munere quodam publico gerendo committantur, in numerum criminum falsi referrentur. Cum vero quædam genera perfidiæ præ ceteris indolem falsi indicant, et legislationes etiam plurium populorum talia genera ad falsum retulerunt, quod etiam cum usu loquendi et sensu hominum communi convenit, nobis ab altera parte minus aptum videtur omnia delicta, quibus fallitur fides, nullis exceptis, a criminibus falsi amovere. Etiamsi omni studio atque labore in eo versati sumus, ut exacte determinaremus, quænam genera perfidiæ, reliquis omissis, ad crimina falsi referen-

da sint, finem illum optatum adhuc attingere nobis non contigit; cum tamen quæstio illa non omnino silentio prætermittenda est, non possumus quin hanc regulam statuamus: Genera perfidiæ, in quibus aliqua saltem parte indoles falsi insit, ad crimina falsi sunt referenda, nisi notæ quædam aliæ iis adsunt, quarum vis iubet, ut potius ad aliam classem systematis delictorum referantur.

Duæ sunt criminis falsi species, altera ab altera valde discrepans, quæ discrepantia a modo pendet, quo perficitur actio fallax. Alteri speciei obiectum quoddam externum semper necessarium est, cui fraudator speciem quandam addit, ut aliud videatur esse quam re vera est, quod quidem ita fit, ut aut notas rei cuiusdam iam exsistentis veras et rite necessarias commutet, aut rei ab ipso productæ notas addit, quæ nullo iure ad illam pertinent. Hanc speciem nomine falsi sensu stricto indicamus; omnibus ceteris falsis nomen stellionatus tribuentes [2]).

---

[2]) Cum in iure Romano nullum occurrit vocabulum, quo apte notionem Sueticam *bedrägeri i vidsträckt mening* exprimeremus, sed modo vocabula *falsum* et *stellionatus* ut species huius notionis ibi inveniuntur, nihil aliud nobis reliquum visum est in designandis notionibus *bedrägeri i vidsträckt mening* cum duabus speciebus eius *förfalskning* et *bedrägeri i inskränkt mening*, quam ut his vocabulis iuris Romani ita uteremur, ut notionem *bedrägeri i vidsträckt mening* vocabulo *falsum* (sensu latiori), notionem *förfalskning* vocabulis *falsum sensu strictiori* et notionem *bedrägeri i inskränkt mening* vocabulo *stellionatus* designemus. Discrepantia autem notionum Romanarum *falsi* et *stellionatus* non exacte convenit cum illa, quæ apud nos inter *förfalskning* et *bedrägeri i inskränkt mening* valet. Secundum ius Romanum *falsum* omnia crimina falsi expresse nominata complectitur. Talia partim in lege Cornelia de falsis enumerantur, partim in recentioribus statutis, quibus et illi qui falsa et interdum etiam qui alia delicta commisissent, legis Corneliæ poena damnati sunt. "Poena legis Corneliæ irrogatur ei, qui falsas testationes faciendas, testimoniave falsa inspicienda

§. II.

Qui observaverit crimen illud, de quo iam agitur, ut alia attingat crimina aut cum iis coniungatur, varias præbere species, is facile intelliget, quantas in legibus ferendis afferat difficultates. Nec, si ad ius criminale Suecanum animum attendamus, desunt harum difficultatum vestigia, nec ab exteris, qui in hac re sunt versati, silentio sunt prætermissæ. [3])

---

dolo malo coiecerit. Item (qui) ob instruendam advocationem, testimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium, ex Senatusconsulto coërcetur. Sed et si quis ob renuntiandum, remittendumve testimonium, dicendum, vel non dicendum, pecuniam acceperit, poena legis Corneliæ adficitur: et qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit." L. I. pr, 1, 2. D. de lege Corn. de falsis (XLVIII. 10.). Nomine *stellionatus* vero omnia falsa non expresse nominata indicat ius Romanum. "Stellionatum autem obiici posse his qui dolo quid fecerunt, sciendum est: scilicet si aliud crimen non sit, quod obiiciatur, quod enim in privatis iudiciis est de dolo actio, hoc in criminibus stellionatus persecutio. Ubicunque igitur titulus criminis deficit, illic stellionatus obiiciemus." L. 3. §. 1. D. Stellionatus (XLVII. 20.). Ineptum nobis visum est notionem *bedrägeri i vidsträckt mening* vocabulis *dolus* vel *fraus* exprimere; nec soli sumus, qui inopia verborum aptiorum notiones *förfalskning* et *bedrägeri i inskränkt mening* vocabulis Romanis *falsum* et *stellionatus* exprimi posse putaverimus. Vide *Grolman, Grundsätze der Criminalrechtswissenschaft,* ed. 4. Giessen 1825. pag. 303. et *Anmerkungen zum Strafgesetzb. für das Königr. Baiern.* 2:r B. München 1813. pag. 226.

[3]) "*Kein Verbrechen erscheint unter so manichfaltigen Formen, Gestalten und Beziehungen als der Betrug und die Fälschung, deren Gegenstand die Rechte des Staats sowohl als der Privaten, Eigenthum sowohl als Person, und bei derselben die verschiedensten Personenrechte, Familienstand, Ehe, bürgerlichen Stand, Ehre u. dgl. seyn können.*" Vide *Anmerkungen zum Strafgesetzb. f. Baiern*, loco not. 2. cit., pag. 213. — "*In keiner Materie des Strafrechts waren bisher die gesetzlichen Bestimmungen schwankender, und*

Ut leges civitatum antiquiores notiones iuris parum accurate explicitas vulgo exhibeant, ita criminis, de quo iam agitur, certas atque accuratas determinationes in eis frustra quæsieris. Leges plerumque non attingebant nisi species quasdam falsi, quas iuribus civitatis aut singulorum præcipue esse perniciosas, experientia docuerat [4]); cum vero fraus atque astutia scelestorum indies novas requireret atque inveniret vias ad ea, quæ sibi proposuerat exsequenda, magis magisque intellexerunt legislatores, non nisi in determinationibus accuratissimis sibi esse subsistendum. Iis præcipue, qui temporibus recentioribus in legibus ferendis sint versati, laudi est vertendum, quod operam suam et studium in eo collocarunt, ut secundum præcepta scientiæ disponerent atque exhiberent varias diversasque species, quas crimen falsi in se complectitur. Nec inter eos, qui præcipue in Germania ius criminale sibi desumserunt tractandum, ii defuerunt, qui de crimine falsi speciatim sunt commentati, quæ vero singuli de hac materia tradunt, parum inter sese conveniunt, et nondum ipsam vim et ambitum huius criminis

---

die Meinungen der Rechtslehrer und der Gerichte über ihre Auslegung und Anwendung mehr getheilt, als in der Materie der Verbrechen, welche in rechtswidriger Täuschung Anderer, durch Mittheilung falscher oder Vorenthaltung wahrer Thatsachen bestehen (Fälschung im weiteren Sinne)." Vide *Motive zu dem Entwurfe eines Strafgesetzbuchs für das Königr. Württemberg,* 1835. pag. 280.

[4]) Sic, ex. gr., *Const. Crim. Carol. V.* non nisi horum criminum falsi mentionem facit: "*Straff der Müntzfälscher, und auch der so ohn habend Freyheit müntzen — der jenen, so falsch Siegel, Brieff, Urbar, Renth- oder Zinss-Bücher oder Register machen — der Fälscher mit Maass, Waag und Kauffmannschafft — der jenen, die fälschlich und betrieglich Untermarckung, Reynung, Mahl- oder Marckstein verrücken — der Procuratoren, so ihren Partheyen zu Nachtheil, gefährlicher, fürsätzlicher Weisz, den Widertheilen zu gut handeln.*" *C. C. C.* Art. CXI—CXV.

satis apte explicasse videntur. Iam transgredimur ad proponendas et, quoad in nobis est, solvendas duas quæstiones, quæ in hac tota disquisitione maximi videntur esse momenti.

§. III.

Primum igitur inquirendum nobis videtur, utrum crimen illud falsi considerandum sit ut per se subsistens, an ut via qnædam, qua perveniatur ad alia crimina perpetranda. Quid de hac quæstione iudicemus, facile ex eis, quæ iam §. I. de ipsa huius criminis notione sunt allata, colligi potest. Sententiam tamen nostræ contrariam Germani quidam defendere sunt conati, inter quos *Cucumus* [5]) valde multus in eo est, ut demonstret crimen falsi per se subsistere, multisque rationibus confirmare conatur, id rectissime considerari ut crimen, quo ius illud, quo veritatem postulare possumus *(das Recht auf Wahrheit)* læditur. Ut diiudicare possimus, num veri quidquam in hac sententia insit, momenta eius gravissima nobis primum exponenda videntur.

---

[5]) Vide Programma eius: *Ueber das Verbrechen des Betrugs als Beytrag für Criminalgesetzgebung*, Würzburg, 1820. Cfr. eiusdem *Bemerkungen über das Verbrechen des Betrugs in Vertragsverhältnissen*, in *Archiv des Criminalrechts*, *Neue Folge*, *Jahrg.* 1837. pag. 431. — *Birnbaum*, in disquisitione quæ inscribitur: *Beitrag zur Lehre von Fälschung und Betrug*, in dicto Archivo, *Jahrg.* 1834. pag. 527, improbavit quidem, non tamen refellit sententiam *Cucumi;* et præter *Birnbaum* neminem nobis cognitum habemus, qui contra *Cucumum* de hac re publice contenderit. Dubium aliqua saltem parte visum esse, an hæc sententia sit approbanda nec ne, concludi posset ex iis, quæ in *Motive zu dem Entwurfe eines Strafgesetzb. f. Württemb.*, pag. 280. leguntur: "*Dieser Zweck stände wohl nicht zu erreichen*, *wenn die Fälschung, gemäsz den Ansichten neuerer Criminalrechtslehrer*, *als selbstständiges Verbrechen*, *als Verbrechen wider das Recht auf Wahrheit aufgefasst würde.*"

Auctor huius sententiæ primum non considerat falsum, nisi quatenus obligatio quædam civilis eo niti potest. Si falsum intra limites iuris erit referendum, adsit, eo iudice, necesse est, consilium opinionibus falsis in alio excitandis damnum huic inferendi. Hoc consilio nititur obligatio (compensationis), quæ quidem obligatio, nisi damnum malo consilio fuerit illatum, adesse omnino nequit. Obligationem iam exortam inter obligationes ex variis caussarum figuris refert ius Civile; cum vero respicit rationem, cur e damno illato exoriatur obligatio, exhibet actionem de dolo. Iam heic observat auctor ius, quo veritatem postulare possumus, esse agnoscendum, quia alias e mendacio aut dissimulatione obligatio quædam exoriri non posset. Cum vero heic falsum non consideratur, nisi quatenus obligatio quædam civilis ex eo exoriri potest, restringendum est ad eas species, quibus damnum possessionibus aliorum infertur, cum in his tantum casibus de compensatione quæstio esse possit; quod quidem etiam in caussa est, cur, quid scelesti in falso insit, heic non sit diiudicandum. Negari quidem non potest, alia quoque iura, quam quæ possessiones respiciunt, ea nempe quorum nulla omnino cogitari potest compensatio, lædi posse; in his vero criminibus omnis evanescit respectus ipsius fraudis, nec quæritur de læso iure illo, quo veritatem postulamus, sed de læso iure existimationis, vitæ &c.; in his enim casibus nihil refert, utrum fraude an vi iura sint violata. Si percipitur violatio iuris, quo veritatem postulamus, ut per se subsistens, nulla habita ratione ad ea, quæ per eam ulterius effici possent, omnis evanescit obligationis respectus, et ipsa notio falsi eum obtinet ambitum, ut id considerare possimus ut cum aliis violationibus coniunctum, quatenus hæ violationes exortæ appareant e crimine contra ius veritatem postulandi iam consummato. Ita vero hoc crimen percipi nequit, nisi cum ex ipsa actione, nullo omnino habito re-

spectu ad ius alius mendacio violatum, exortus sit effectus, qui per se valet ad attingendum finem, quem agens primitus respexit. Duplici enim modo fraus exerceri potest, aut cum quid simpliciter affirmatur, cui affirmationi pro arbitrio fidem præbere aut denegare possumus, aut cum adhibentur res quædam externæ, quibus cogimur ad veritatem eorum, quæ sunt affirmata, agnoscendam. Illud fraudis genus aut e limitibus criminum omnino est excludendum et ad delicta *(Vergehen)* referendum, aut si eo violatur ius aliorum possessionis, respectu habito ad magnitudinem damni illati, considerari potest ut crimen in ius possidendi vi psychica peractum. Hoc vero genus, in quo, re quadam externa adhibita, cogimur ad ea agnoscenda, quæ affirmata sunt, considerandum est ut crimen contra ius nostrum veritatem postulandi. Nota criminis huic agendi rationi non tam eo imprimitur, quod iura singulorum violantur, quam potius eo, quod in ipsa actione, rebus externis ad cogendum adhibitis, inest vis psychica, qua arbitrium singulorum suppressit voluntatem communem in lege patefactam, quo fit, ut iura omnium re vera perturbentur. Ut in ceteris criminibus, ita in hoc quoque dolus adsit, necesse est, sine quo vis illa psychica, cuius mentio iam est iniecta, ne cogitari quidem potest. Auctor, postquam fusius exposuit quæ de hac materia iudicat, ipsam falsi notionem, qualis in iure criminali, eo iudice, percipi debet, ita constituit: Notione criminis falsi *(des Betrugs)* indicatur vis, quæ, rebus falsis externis adhibitis, facultati cognoscendi (*dem Erkenntnissvermögen)* alius infertur, quæque vis, nisi effectus eius supprimatur, violationem iurium alius efficit. — Transgreditur deinde ad determinandam differentiam, quæ in iure Romano inter falsum et stellionatum obtinet; et quidem patere credit, obiectum criminis falsi esse ius, quo veritatem postulamus *(das Recht auf Wahrheit)*, eandemque inter falsum et stellionatum rationem intercedere, ac

quam ipse inter crimina in ius nostrum veritatem postulandi et ceteras fraudes determinavit.

Quæ omnia, quamquam modo acutissimo sibique conveniente ab auctore clarissimo sunt exposita, vix tamen ea sunt, quæ possint approbari. Quid? quod ipsum nomen ab eo adhibitum, *Verbrechen an dem Rechte auf Wahrheit*, ostendere nobis videtur, intimam rei rationem ab eo non satis esse perspectam. Hoc enim nomine, si quid videmus, indicatur, hoc crimine non respici nisi ad violandum ius illud, quo alius ab alio veritatem potest postulare. Num vero hic respectus re vera est gravissimus, num is, qui fraudem exercet, in eum præcipue intendit, num denique ille notam criminis actioni imprimit? Si enim, ut exemplo rem illustremus, homo quidam fraudulentus falsis litteris alium in errorem inducit, omnino in aperto nobis esse videtur, crimen non cerni in hoc ipso errore excitato, et legislatorem, cum poenam constitueret, non præcipue respexisse, ut impediretur, ne talis error possit excitari, sed fraudulentum illum in id præcipue intendisse, ut ius quoddam alius violaret, cuius violationis quasi viam in falsis illis litteris quæsivit, et legislatorem ad hanc ipsam violationem iuris alius præcipue respexisse, cum poenam determinavit, non modo si damnum fraude fuerit illatum, sed etiam si fraus effectu omnino caruerit. Concedendum quidem est, unicuique ius competere postulandi, ne ab alio in errorem inducatur, cum hoc errore damnum ei inferri possit; si vero comparationem instituimus inter ius illud, quod iam nominavimus, et aliud quodcumque ius, cuius violationem primitus respexit homo fraudulentus, quærendum videtur, utrum magis essentiale et necessarium, utrum magis sit accidentale ac fortuitum. Ius illud, cuius violationem primitus respexit fraudulentus, eius esse momenti apparet, ut, si a consilio eius violandi animus abstrahitur, nota criminis in fraude omnino deleatur; quibus sponte efficitur, ius illud

in determinanda criminis indole omnino esse essentiale. Per se præterea patet, exsistentiam illius minime pendere a iure altero aut ab eius violatione. Nec ipse auctor sententiæ supra a nobis expositæ potuit, quin quodammodo perspiceret, quanti momenti consilium huius iuris violandi sit in eruenda indole fraudis; in exordio enim in hoc ipso consilio rationem se invenisse credit, cur adsit obligatio compensandi damni fraude illati; deinde vero, cum operam studiumque in eo poneret, ut falsum perciperet quasi crimen per se subsistens, quo læditur ius nostrum veritatem postulandi *(das Recht auf Wahrheit)*, magis magisque factum est, ut indolem criminis, qualis re vera obvenit, neglexerit. Nec tamen e notione criminis consilium illud, de quo iam multum sumus locuti, omnino exterminare potuit, cum probe intelligeret, sublato hocce fundamento, cito fore, ut totum corrueret ædificium. Nec tamen definitio, quam supra attulimus, ita est percipienda, quasi consilium illud voce doli exprimeretur; hac enim voce nihil aliud vult intellectum, nisi quod homo fraudulentus sciens volensque errorem in alio excitaverit. [6]) — Alterius vero iuris *(des Rechts auf Wahrheit)* longe alia est ratio. Negari quidem non potest, illud viola-

---

[6]) Respiciens vocem *doli* in definitione occurrentem, auctor affert: "*Wie bey allen Verbrechen, so wird auch hier dolus erfordert; ohne dolus ist jener Begriff der Gewalt, als der Geltendmachung individueller Willkühr gegen das Rechtsgesetz nicht möglich. Von dem culposen Betruge kann jetzt noch nicht die Rede seyn.*" Vide Programma eius not. 5. citatum, pagg. 85, 86. — Observanda quoque sunt verba, quæ post definitionem allatam proxime sequuntur: "*Das Criminalrecht setzt also den gemeinen Begriff des Betrugs voraus, und fügt nur jene Bedingungen hinzu, unter welchen derselbe als Verbrechen, nach den Erfordernissen, welche überhaupt zum Daseyn eines Verbrechens gehören, erscheint: aber eben dadurch stellt sich der criminalrechtliche Begriff desselben als von dem privatrechtlichen verschieden heraus.*" Loc. cit. pag. 83.

tum re vera pertinere ad essentiam omnium criminum falsi, cum formam omnibus communem constituat; cum vero in eo versamur, ut comparationem instituamus inter duo illa iura, quorum mentio iam est iniecta, apparere videtur, hoc esse accidentale, quatenus violatio illius non sit nisi ratio quædam, cui alias similes adhibere potuisset fraudulentus, ut consilium sibi propositum assequeretur, et, si non hanc ipsam sed aliam quandam iniisset rationem, actionem illius extra limites criminis falsi quidem fuisse positam, nec tamen a natura delicti fuisse alienam. Eo quoque respectu hoc ius accidentale videtur, quia exsistere nequeat, nisi respicitur consilium iuris illius violandi; hac enim sublata conditione, obligatio veritatis proferendæ limitibus iuris non continetur.

Ex eis quæ iam sunt disputata apparere videtur, non modo ipsam denominationem *Verbrechen an dem Rechte auf Wahrheit*, sed etiam rationem, qua indoles huius criminis est percepta, aperto esse indicio, quod duo momenta, sine quibus crimen ut totum persistere omnino nequit, temere a se invicem fuerint disiuncta; et errorem præterea in eo inesse, quod auctor præcipue respexerit ad illum momentum, quod, comparatione iusta instituta, accidentale et fortuitum apparet, alterum vero, quod essentiale sit atque necessarium, fere neglexerit.

Accuratissime auctor investigavit, quidnam esset quod crimini falsi, ut crimini contra ius veritatem postulandi *(das Recht auf Wahrheit)* commisso, ipsam notam criminis imprimeret. Uberrime primum exponit, vim omnibus criminibus *(Verbrechen)* notam esse communem. Illo vero iudice, [7]) hæc vis non tam consideranda est quasi in singulos directa, quam potius in legem et eo ipso

[7]) Auctor unus est ex eorum numero, qui absolutam, quam dicunt, theoriam iuris puniendi defendunt.

facto in omnes, unde etiam legis est poenis tollere malum, quod e vi est ortum, sicut negativo tollitur affirmativum, et tali modo restituere ordinem in civitate vi turbatum. Cuius quidem vis duo statuit esse genera, alterum physicum, alterum psychicum; hoc vero contendit aut esse immediatum, cum peragitur minis iunctis cum periculo quodam instante, aut mediatum, cum alii vi in errorem inducuntur. Forma vis psychicæ mediata notam criminis inurit iis facinoribus, quibus læditur ius veritatem postulandi *(das Recht auf Wahrheit)*, si quidem hæc vis peragitur rebus quibusdam externis, quarum natura iam supra est exposita; quæ quidem nisi adhibentur, ei, qui in errorem inducitur, liberum manet arbitrium, quo fit, ut de vi ne sermo quidem esse potest. Notis, quibus cernitur crimen, ita ab auctore expositis, sponte factum est, ut notione criminis contra ius veritatem postulandi commissi nullæ species fraudis comprehendantur nisi eæ, in quibus homo fraudulentus adhibuit rem quandam externam ad errorem in alio excitandum.

Non est huius disquisitionis accuratius examinare rationem, qua indolem criminis in genere auctor determinavit; observandum vero est, auctorem multo labore supersedere potuisse et effugere confusionem inter notiones vis et fraudis, quæ vulgo inter se oppositæ habentur, et tamen, quod ad fraudem attinet, talem notam facile invenire potuisse, si modo eam, ubi re vera adesset, quærere instituisset. Cum enim quidam, fraude adhibita, agere incepit eo consilio, ut iura aliorum violentur, iam impetus adest inceptus in singulos; qui ita agit, iam eo ipso facto ostendit, se legi esse inimicum et civitati perniciosum. Cum igitur in aperto est, vim in legem inimicam sese exserere saltem incepisse, talis etiam nota, quæ, illo iudice, esset invenienda, re vera iam adest. Hanc vero notam ei esse præferendam, quam proposuit auctor, vel ex eo patet, quod semper eadem adsit, cum e contrario, si animum

abstrahamus a consilio, quod homo fraudulentus sibi attingendum proposuit, facile fit, ut nota ab auctore proposita una cum ipso crimine contra ius veritatem postulandi *(das Recht auf Wahrheit)* commisso, in nihilum redigatur. Quod vero attinet res illas externas, quas necessarias iudicat auctor, si nota illa exsistere possit, non eius naturæ illæ nobis esse videntur, ut vim atque auctoritatem absolutam eis tribuere possimus. Quis enim est qui neget, consilium fraudulentum, ad quod exsequendum nullæ omnino tales res externæ adhibentur, interdum maiori cum difficultate retegi, quam, ex. gr., fraudem, quam quis exercere conatur moneta inepte adulterata, ad cuius auctoritatem agnoscendam is haud facile perduci poterit, qui eam adulterinam esse intelligit, aut saltem suspicatur.

Superest, ut ostendamus, cur non modo ius Romanum in determinanda falsi poena sæpius ne verbo quidem attingat ipsum damnum crimine illatum, sed etiam leges recentiores [8]) poenam statutam non imminuant, si irritum fiat consilium fraudulentum. Tantum vero abest, ut legislatores notione criminis contra ius veritatem postulandi *(das Recht auf Wahrheit)* commissi totum crimen falsi comprehenderint, et huic crimini, tamquam consummato in hoc iure læso, totam poenam imposuerint, ut potius heic quoque præcipue respexerint ad consilium scelestum, quod attingendum fraudulentus sibi proposuit. Ipsa ratio, cur nulla adsit imminutio poenæ, etiamsi consilium scelesti irritum fuerit, in eo posita esse nobis videtur, quod, simulac consilium fraudulentum agentis certum omnino est atque comprobatum, periculum gravissimum non tam singulis quam potius toti civitati re vera immineat. Quod præterea ius Romanum his quoque in casibus præsumat, consilium

---

[8]) Ex. gr. Ius Suecanum in M. B. 7: 1.

damni aliis inferendi primitus adesse in homine fraudulento, iam ostendit *Birnbaum.*[9])

§. IV.

Huc quoque pertinet alia quæstio, in qua rite solvenda difficultates gravissimæ perscrutanti sese offerunt. Est enim determinandum, quinam locus in toto criminum ambitu crimini falsi sit tribuendus, et quanam ratione singulæ huius criminis species inter sese contineantur. Quæstio iam mota ea præcipue de caussa gravissima nobis videtur, quia illa, recte diiudicata, non modo ostendit rationem, quam inter singula criminum genera intercedere statuit legislator, sed etiam digito quasi monstret iudici viam, quam sequi debeat in diiudicandis singulis casibus obvenientibus. Si animum attendere placet ad legem nostram Suecanam, ut investigemus, quadam ratione quæstio iam mota ibi sit diiudicata, facile inveniemus tantum abesse, ut legislator in criminibus falsi disponendis ordinem quendam certum sit secutus, ut potius ea proposuerit ubique dispersa in toto codice iuris, ordinem sequens criminum, quæ respiciunt actiones fraudulentæ, quæque secundum indolem diversam in diversis codicis capitibus locum obtinent. Cum præterea hæc ipsa crimina non locum habent sibi proprium in ea sectione, quæ de criminibus speciatim inscribitur, sed in ceteris quoque mentio eorum iniicitur, longe maior ex eo ipso nascitur difficultas in conspectu criminum falsi exhibendo. Longe alia quidem obtinet ratio in codicibus iuris exteris nostro sæculo conditis, quos accuratius consulere nobis contigit. In eis enim ordo quidem certus adhibitus est in criminibus falsi disponendis; parum tamen hac in re inter sese consentiunt, quod idem valet de iis, qui in

---

[9]) Vide disquisitionem eius not. 5. cit., pag. 557.

commentariis de iure criminali edendis operam studiumque collocarunt. Ratio vero, cur inter se dissentiant, non tam quærenda videtur in ingeniis diversis eorum, qui hanc quæstionem sibi tractandam desumserunt, quam potius in eo, quod hæc ipsa crimina, materiem si spectes, quodammodo sint indeterminata, quodque prodeuntes varias haud raro sibi induant formas atque species. Hæc ipsa differentia præterea certo indicio nobis esse videtur, quod ad cognitionem perspicuam atque accuratam indolis, quæ his criminibus inest, nondum sit perventum; etiamsi vero talem cognitionem nondum attigimus, non omnis ordo deserendus videtur, præcipue cum præstat adhibere genus disponendi non perfectissimum, quam omnia dispersa proponere. Ex ordine enim, qui in disponendo adhibetur, regulæ quædam generales a legislatore elici possent, quæ quidem regulæ magnum præbent usum iudici, cum versatur in talibus casibus diiudicandis, in quibus ad analogiam legis recurrere non potest.

Species quædam falsi, respectu habito ad gravitatem iurium, ad quæ violanda conferunt, tam præ ceteris eminent, ut minus attendatur ad indolem fraudis quæ iis inest, præcipue vero ad alias earum notas respiciatur. Quod quidem in caussa fuit, cur in criminibus disponendis has species, a criminibus falsi seiunctas, referre placuerit ad alias classes, in quibus propter has notas eminentes locus eis esse proprius visus est. Inter has formas speciatim afferre liceat: adulterationem nummorum, quæ ad delicta publica vulgo refertur; [10]) adulterationem litterarum publicarum, quæ

---

[10]) Sic, ex. c., codex iuris criminalis Austriaci (de anno 1803) hoc delictum in proprio capite inter delicta publica collocat. In codicibus iuris criminalis Bavarici (de anno 1813), Oldenburgici (de anno 1814), Württembergici (de anno 1839), Braunschwigici (de anno 1840) et Hannoverici

ad eandem delictorum classem a plerisque refertur; [11]) et periurium, quod quidem delictum, ut varie est perceptum, ita ad classes delictorum diversissimas est relatum. [12]) Quod attinet ad cri-

---

(de anno 1840) hoc delictum inter *Verbrechen wider öffentliche Treue und Glauben* locum obtinuit; in iure Borussico (*Allgemeines Landrecht für die Preussischen Staaten*) inter *Anmaassungen und Beeinträchtigung der vorbehaltenen Rechte des Staats.* Codex iuris criminalis Saxonici (de anno 1838) contra in serie delictorum privatorum de hoc delicto in proprio capite mentionem facit. — *Feuerbach* (loco not. 1. cit.) delictum, de quo agitur, inter *Verbrechen gegen einzelne Gewalten des Staats* collocavit; *Abegg* (loco not. 1. cit.) inter *die gemeinen Verbrechen gegen die Staatsgewalten*, et *Grolman* (loco not. 2. cit.) inter *die gemeingefährlichen Verbrechen. Algreen-Ussing (Haandbog i den danske Kriminalret,* ed. 3. Kjöbenh. 1841.) hoc cum ceteris criminibus falsi in serie delictorum privatorum tractavit.

[11]) In codicibus iuris criminalis Bavarici, Oldenburgici, Wurttembergici, Braunschwigici et Hannoverici hoc delictum occurrit in sectione illa delictorum publicorum, quæ inscribitur: *Verbrechen wider öffentliche Treue und Glauben.* Inter delicta privata mentio huius delicti in codice iuris Saxonici est facta in capite, quod inscribitur: *Von betrügerischen Handlungen.* Ius Austriacum cum Borussico in eo convenit, quod delictum, de quo iam agitur, ad seriem delictorum privatorum in utroque est relatum; et quidem in illo tractatur in capite: *Von dem Betruge*, in hoc vero in sectione: *Von Beschädigungen des Vermögens durch strafbaren Eigennutz und Betrug.*

[12]) Ad sectionem illam delictorum publicorum, quæ inscribitur: *Verbrechen wider öffentl. Treue und Glauben,* hoc delictum referunt codices iuris Wurttemb., Braunschw. et Hannov. Codex Saxonicus de periurio facit mentionem in capite: *Von Verletzung der Ehrerbietung gegen die Religion.* In serie delictorum privatorum et inter crimina falsi hoc delictum collocant codices Bavaricus, Oldenb. et Borussicus, et quidem duo priores in sectione: *Von Beeinträchtigung fremder Rechte durch Betrug,* Borussicus vero in sectione: *Von Beschädigungen des Vermögens durch strafbaren Eigennutz und Betrug.* — *Jarcke (Handbuch des gemeinen deutschen Straf-*

mina prævaricationis, [13]) concussionis [14]) &c., illa iam collocata sunt in numero criminum falsi, iam ad classes alias relata.

Qui in criminibus iuste disponendis criminibus falsi locum proprium tribuere velit, primum disquirat necesse est, quænam ratio sit habenda formarum huius criminis eminentium, de quibus iam sumus locuti, et, hac quæstione rite diiudicata, qui locus in systemate huic generi sit tribuendus. Si concedatur delicta publica a privatis in systemate probe esse discernenda, et simul observetur, indolem illorum in eo præcipue cerni, quod immediate tendant ad violandam civitatem et eius instituta, et nihil omnino de hacce illorum indole detrahi, si fraus adhibita est ad scelus tale perpetrandum, sponte effici nobis videtur, ambitu illorum omnes eas

---

rechts, 2:r B. Berlin 1828.) periurium refert ad *die Verbrechen gegen Gott und die Religion; Abegg* (loco cit.) ad *die strafbaren Verletzungen religiöser Pflichten und der Religion überhaupt. Feuerbach* et *Grolman* (locis cit.) periurium referunt ad delicta privata, inter quæ cum aliis criminibus falsi connexum occurrit. *Algreen-Ussing* (l. c.) hoc delictum ad delicta publica relatum una cum aliis in capite, quod inscribitur *Forbrydelser imot Retspleien*, tractavit.

[13]) Definitione a *Feuerbach* proposita heic uti liceat: "*Die Prävarication wird* 1) *im ursprunglichen und eigentlichen Sinne von dem Ankläger begangen, welcher den eines öffentlichen Verbrechens angeschuldigten Beklagten durch Uebertretung der Pflichten des Anklägers begünstigt.* 2) *Im abgeleiteten Sinn ist derjenige der Prävarication schuldig, welcher, verpflichtet die streitigen Rechte einer Person zu vertreten, dieser zum Nachtheil die Gegenparthey vorsätzlich begünstigt.*" Vide *Lehrb. des peinl. Rechts*, §. 425.

[14]) "*Concussion besteht in der Erpressung eines Vortheils von einem Andern durch den Vorwand oder durch Bedrohung mit dem Missbrauch eines Rechts, so ferne nicht die That in ein Anderes schwereres Verbrechen übergeht.*" *Feuerbach*, l. c. §. 430.

species falsi esse comprehendendas, quæ immediate tendant ad violandam civitatem eiusque instituta; ceteræ vero falsi formæ locum inter delicta privata omni iure sibi vindicant.

Ex allatis efficitur, ut in numerum delictorum publicorum hæc sint referenda: 1:o Crimen perduellionis, quod actionibus fraudulentis committitur, ex. c., si quis in bello decipit exercitum nuntiis, quos falsos esse ipse cognoscit; si quis eo consilio, ut detrimentum civitati afferatur, adulterat, retinet, delet aut corrumpit litteras publicas aut alia documenta, quæ pertinent ad securitatem civitatis aut ad tuendum ius illius in alias civitates; quibus delictis in *Förslag till allmän Criminallag för Sverige* locus inter delicta publica omni iure est assignatus, [15]) et sic in iure Norvegorum criminali (de anno 1842). [16]) 2:o Qui adulterat litteras publicas, monetas, typos aut signa; quæ quidem delicta in rogatione iam citata etiam ad delicta publica sunt relata, [17]) et sic etiam in iure crim. Norv. [18]) 3:o Fraudes quas quis exsequitur in fungendo munere publico sibi commisso, ex. gr., crimen concussionis ab eo commissum, qui in munere publico versatur; fraudes quas exsequitur exactor, ut occultet peculatum iam commissum. Quæ quidem delicta in rogatione nuper citata recte locum obtinuerunt in eo capite, ubi agitur de criminibus ab iis commissis, qui in munere publico versantur, [19]) et sic in iure Norvegico. [20]) Ordini vero iusto minus bene consultum videtur, cum hæc scelera, a delictis publicis disiuncta, locum obtinuerunt in fine eius partis, in qua de delictis pri-

[15]) Vide *Straff B.* Cap. 9. §§. 6, 12.
[16]) Vide Cap. 9. §. 11.
[17]) Vide *Straff B.* Cap. 13.
[18]) Vide Cap. 11.
[19]) Vide *Straff B.* Cap. 28. §§. 11, 14.
[20]) Vide Cap. 24. §§. 17, 22.

vatis agitur. Cum enim heic non agitur nisi de delictis, quæ committuntur a quodam in munere publico versante, dum violat officia muneri iniuncta, et indoles eorum in eo ipso cernitur, quod talis homo abutatur auctoritate, quæ ad munus rite exsequendum ei a civitate est commissa, consultissimum nobis videtur hæc crimina ad numerum delictorum publicorum referre. Cum præter species iam allatas alia quoque delicta publica obvenire possunt cum crimine falsi coniuncta, afferre sufficiat, idem de iis esse statuendum, quod de iam allatis supra a nobis est expositum. Quod speciatim ad periurium attinet, concedendum quidem est, illud ad delicta publica quam ad privata propius accedere; cum vero hoc delicto triplici respectu peccetur, ut nempe iura ecclesiæ, civitatis et singulorum simul eo violentur, periculum subesse videtur, si crimen illud, sicut hactenus factum est, referatur ad certum quoddam genus eorum delictorum, quæ tribus iurium generibus iam allatis respondent, ceteris delictorum generibus omnino exclusis; tali enim modo facile fieri posset, ut quis in errorem induceretur, quasi ratio, cur puniendum sit periurium, in unico contineretur momento, nec ad cetera duo patere. In systemate, ubi delicta, quæ religionem spectant, ad delicta publica referuntur, et differentia inter delicta publica et privata adumbrata quidem est, non vero limitibus accurate circumscripta, periurium locum sibi proprium habere nobis videtur in ea parte, ubi transitus fit ex altera classe in alteram; ibi enim singula momenta, quæ in hoc delicto continentur magis, quam alias fieri posset, in aperto sunt collocata. Ex eis quæ iam sunt exposita patere videtur, locum iustum periurio esse assignatum in rogatione Suecana supra commemorata, [21]) quem eundem locum idem obtinuit delictum in iure Norvegorum criminali. [22])

---

[21]) Vide *Straff B.* Cap. 14.

[22]) Vide Cap. 12.

Quinam ordo præcipue eligendus sit in disponendis variis illis falsi formis, quibus inter delicta privata locus proprius est assignatus, haud ita facile potest diiudicari. Quæ rationes disponendi in legibus quibusdam externis sunt adhibitæ, magis originem arbitrio debere nobis videntur quam principiis certis et ex intima criminum indole desumtis inniti. Sic, ex. gr., in iure Bavarico et Oldenburgico hæc adhibita est disponendi ratio: A) *Vom Betruge zum Nachtheile fremden Eigenthums.* 1) *einfacher Betrug* (qui pendet e magnitudine damni illati, nisi adsint circumstantiæ quædam aggravantes), 2) *gesetzlich ausgezeichneter Betrug* a) *des ersten Grades,* b) *des zweiten Grades, insbesondere Urkundenfälschung, Meineid in Civilsachen, Sträflicher Banquerout.* B) *Betrug an der Person, insonderheit* 1) *rücksichtlich der Ehe,* 2) *an den Familienrechte,* 3) *am guten Namen,* cuius hæ enumerantur species: a) *aussergerichtliche Verläumdung,* b) *gerichtliche durch falsche Denunciation,* c) *durch falsches Zeugniss in Strafsachen,* d) *durch Urkundenfälschung.* In divisione principali constituenda legislator respexit varia iura, quæ criminibus violantur; in disponendis vero criminibus, quæ sub litt. A. sunt allata, ad magnitudinem culpæ respexit, et in singulis speciebus constituendis, secutus est, ut videtur, varias furti classes, quæ antea erant constitutæ, eo consilio ut singuli poenarum gradus, in illo legis capite sanciti, heic quoque possent adhiberi; quo factum est, ut ordo quidam criminum, vera eorum natura nitens, recipi non potuerit. Ius Saxonicum et Wurttembergicum (in codicibus iuris criminalis iam citatis) sub variis titulis varias proponunt falsi species, nullo omnino ordine in disponendo adhibito. — Ius Borussicum *(Allgemeines Landrecht)* duas proponit species falsi principales, quarum altera appellatur *gemeiner Betrug,* altera *qualificirter.* Quod speciem priorem attinet, quæ præcipue versatur in contractibus atque

in vita hominum communi et negotiis, relegatur ad ea, quæ in codice iuris civilis sunt statuta; quod ad hanc speciem attinet, quæ complectitur fraudes circumstantiis aggravantibus comitatas, de quibus ex officio est inquirendum hæc adhibita est disponendi ratio: A) *Untreue* 1) *von Beamten* (respectu habito ad crimina falsi ab his peracta, relegatur ad sectionem iuris codicis antecedentem), 2) *von Vormündern,* 3) *von Mäklern,* 4) *von Justizcommissarien und Consulenten,* 5) *von Privatverwaltern,* 6) *des Gesindes,* 7) *bei Depositis,* 8) *Erbrechung fremder Briefe,* 9) *von Bevollmächtigten,* 10) *von Handlungsgesellschaften,* 11) *im Assecuranzvertrage.* B) *Verfälschungen* 1) *der Urkunden,* 2) *falsches Spiel,* 3) *Goldmacher und Wahrsager,* 4) *Grenzverrückung.* C) *Betrug mit Verletzung anderer Pflichten:* 1) *Meineid und Lügen vor Gericht, Falsche Anschuldigung und Anklage,* 2) *Doppelte Taufe,* 3) *Unterschiebung fremder Geburt,* 4) *Missbrauch fremden Namens und Wappens.* D) *Betrug des Publici:* 1) *Verfälschung von Waaren, Maass und Gewicht,* 2) *Bankerut.* Ne Hæc quidem ratio disponendi valet ad illustrandas notas, quæ singulis falsi formis sunt propriæ; non enim est divisio vere logica, sed potius aggregatio quædam partium omnino arbitraria. Sunt sane species falsi, quæ ex hoc toto conspectu omnino sunt exclusæ, ex. gr., si quis, ut damnum alii inferat, sibi arrogat auctoritatem muneris publici ei non commissi; si quis in litteris testimonialibus aut in aliis quibusdam litteris privatis ea vera esse affirmat, quæ falsa esse ipse cognoscit, et tali modo alii aut error iniicitur aut damnum affertur. Fundamentum divisionis omnino desideratur, quo fit, ut membra divisionis disiuncte coordinata dignosci nequeant. Sic, ex. gr., nihil impedit, quo minus transponamus adulterationem litterarum publicarum (B. 1.) ad. litt. C., cum hoc crimine ipsa civitas violetur, &c. — In rogatione novi codicis iuris criminalis Sue-

cani inscribitur quidem caput 24 libri de poenis: *Om Bedrägeri,* sed ne periculum quidem factum est iuste disponendi singulas species criminis in hoc capite pertractatas; in capite subsequente 25 agitur *Om bedräglig eller vårdslös gäldenär i konkurs,* et in capite 26 *Om förfalskning af enskilda handlingar, så ock om missbruk deraf.* Si ipsam disponendi formam respiciamus, merito reprehendendum nobis videtur, quod criminibus debitoris fraudulenti et eius, qui adulterat litteras privatas, capita specialia sunt assignata, cum hæc crimina re vera posita sunt intra ambitum eorum, quæ tractantur in capite 24.

Quod ad classem, de qua iam agitur, attinet, hoc loco observare sufficiat, omnia crimina falsi, quæ ad privata iure referuntur, nulla vero alia limitibus illius esse includenda, et exceptiones ab hac regula non esse licitas, nisi cum regula accuratissime observata eo duceret, ut materies, quæ intimo cognationis vinculo sunt coniunctæ, a se invicem divellerentur; quæ quidem divulsio et in lege condenda et in ea adhibenda maiora secum ferret incommoda, quam si a regula illa proposita paullulum interdum recedatur. Ita ii quoque iudicasse videntur, qui rogationem iuris Suecani condiderunt, cum in capite 15, ubi agitur de vulgata peste aut alio quodam morbo contagioso, locus assignatus est crimini eorum, qui, eo consilio ut vitam aut sanitatem aliorum lædant, veneno inficiunt merces venales publice exhibitas, aut alias quascumque res, quibus periculum imminet vitæ aut sanitati aliorum (§. 3.); cum in capite 18, ubi de contumeliis et probris agitur, crimen quoque receptum est calumniantium; cum in capite 21, ubi agitur de crimine eorum, qui malo consilio ædes aliorum succendunt &c., mentio quoque iniecta est eorum, qui ædes suas ipsi incendunt aut naves demergunt, ut eos defraudent, qui periculum damni in se receperunt (§§. 5, 9.). Quod vero crimina, quæ tractantur in capitibus 25 et 26,

exclusa sint ex eo capite, in quo de criminibus falsi agitur, ex ratione iam allata non esse explicandum videtur; præcipue cum in cap. 26 non agatur nisi de actionibus fraudulentis, et cum mentio debitoris negligentis, quæ iniicitur in cap. 25 non rationem contineat sufficientem, cur illud sit excludendum e capite de criminibus falsi, quia, cum obveniunt res, quæ secundum ordinem iam receptum diversos obtinere debent locos, sed propter cognationis vinculum, quod inter eas intercedit, in unum congeruntur locum, respectus præcipue est habendus ad eam rem, quæ maximi videtur esse momenti et cuius transpositione in alium locum ordo systematis maxime turbatur. Præterea a re haud alienum nobis videtur, si in iis locis, ubi secundum ordinem receptum tales res minoris momenti essent tractandæ, delegarentur lectores ad eos locos, ubi propter nexum, quo cum rebus gravioribus cohærent, sunt expositæ. — In capite 24. §. 4. furto usus locus est assignatus; nobis tamen hoc crimen non magis quam ipsum furtum sensu proprio notas exhibere videtur criminibus falsi proprias, et potius sine dubio referendum fuisset ad eum locum, ubi exponitur furtum. Ratio, cur inter crimina falsi sit relatum, in eo cerni videtur, quod cognationem adesse statuerit auctor rogationis inter hoc crimen et eorum, qui, venia domini nondum impetrata, utuntur rebus mobilibus alius sibi commissis (eod. §.); inter hæc vero crimina re vera adest differentia manifesta, et quod posterius iure referatur ad crimina falsi, ex eo constare videtur, quod scelestus, dum sine venia domini utitur rebus sibi commissis, re vera abutitur fiducia in eo posita. Fiducia ita frustrata inter eos, qui eiusdem sunt familiæ aut societatis, etiam furationi rei sociæ (§. 16. eod. cap.) notam falsi imprimit, qua de caussa hoc scelus non ad crimen furti sed potius falsi omni iure relatum videtur.

Iustam dispositionem criminum falsi, ad eam de qua iam agi-

tur classem pertinentium, exhibere conabimur in parte huius dissertationis posteriori, ubi in animo est conspectum proponere eorum, quæ diversis in locis iuris nostri Suecani de crimine falsi sancita inveniuntur.

§. V.

Transgredimur iam ad ius nostrum Suecanum ea breviter exposituri, quæ in eo de materia nobis proposita præcipue memorabilia obveniunt. Si animum accuratius attendamus ad ea, quæ locis variis iuris nostri de crimine falsi sunt statuta, invenimus, poenas aliis eius formis expositas accuratissime esse determinatas, aliis minus accurate, aliis demum tam obscure, ut dubius facile hæreas, quam poenam legislator re vera respexerit. Præcepta talia minus accurate aut obscure tradita haud raro iudicem incertum faciunt, et eum sæpe eo adducunt, ut aut statuat poenam quandam arbitrariam, aut eligat poenam alii cuidam formæ falsi propositam, etsi inter illam et eam, quam habet diiudicandam, analogia re vera non adsit. Sic audivimus poenam in HB. Cap. 16. §. 4. debitori fraudulento constitutam, quod nempe vinctus collari per duas horas publicæ ignominiæ sit expositus &c., quamquam non omnibus speciebus falsi gravioribus, sed huic casui speciali præscriptam, sæpius adhibitam esse in puniendis iis falsi formis, quæ cum hacce nullo similitudinis vinculo sunt coniunctæ. In operibus Celeberrimi *Calonii* occurrit talis casus, in quo hæc poena ob levius crimen falsi imposita fuerat, quam vero sententiam *Calonius*, tribunalis supremi eo tempore Adsessor, improbavit.[23]) Relatum præterea accepimus, eandem poenam alii fuisse iniunctam, qui, ut eos fraudaret qui periculum incendii in se receperant, ædes suas ipse succenderat.

---

[23]) Vide *Calonii Opera Omnia*, III. pag. 270.

Secundum legem nostram fieri quidem non potest, ut, hoc crimine commisso, in iis casibus, qui allati sunt in rogatione iuris criminalis, [24]) poena incendiariis proposita iniungatur. Si tamen ædes alienæ tam in propinquo sunt positæ aut tam iunctæ cum ædibus succensis scelesto propriis, ut ille, si mentis sanæ fuerit, non potuerit quin prævideret fore, ut probabiliter hæ quoquæ ædes flammis consumerentur, constare nobis videtur, actionem scelesti, si ædibus alienis incendium re vera adduxerit, potius dolo quam culpæ esse tribuendam, præcipue cum agens, quamquam probe intellexit quem effectum actio illius haberet, tamen ab incepto desistere noluerit; si vero certis documentis probari potest, talem dolum re vera affuisse, indoli legis nostræ repugnare non videtur, si poena incendii tali homini infligatur. Num in aliis casibus locus quidam inveniatur magis quam HB. Cap. 16. §. 4. aptus ad poenam talis hominis determinandam, uberius nobis est disquirendum in parte huius dissertationis posteriori.

Quibus is prematur difficultatibus, qui in eo studium ponit, ut accurate determinet poenam, quam præceptis illis obscuris, de quibus supra mentionem fecimus, re vera respexit legislator, iam ostendere placet exemplis nonnullis afferendis.

In GB. Cap. 13. §. 8, ubi agitur de eo, qui secundum indolem naturalem a matrimonio omnino abhorret, aut qui infectus est morbo quodam contagioso eodemque insanibili, statuitur eum, si hunc reticeat statum et fraude hominem alium ad matrimonium secum ineundum alliciat, poena esse afficiendum falsi, ut in sequentibus codicis capitibus accuratius determinatum invenitur. Quamquam ta-

---

[24]) *"Voro, genom den eld, andras boningar eller ristelserum i fara satte, eller fick någon deraf svår kroppsskada; straffes gerningsmannen efter ty för hvarje sådant fall i 1, 2, 3 eller 4 §. skils." Straff B.* Cap. 21. §. 5.

men tali modo adest relegatio ad alium locum, tamen in toto omnino iuris codice nullæ adsunt determinationes de poena falsi in genere, inter quas quædam huic casui accommodata eligi posset, nec in sequentibus capitibus casus quidam obvenit similis, cuius poena heic posset referri. E contrario in parte codicis antecedente, nempe in GB. Cap. 4. §. 6. obvenit casus quidam falsi huic valde similis, et cui poena certa est exposita, quam quidem poenam iam *Nehrman* [25]) maxime accommodatam iudicavit ad illam de qua iam agitur falsi speciem. Quamquam usus huius analogiæ ipsis verbis legis aperte repugnat, adhibenda tamen videtur, cum relegatio, quæ in ipsa lege adest, nullo modo valeat ad quæstionem rite diiudicandam.

In BB. Cap. 28. §. 14. statuitur, eum, qui utitur falso syngrapho aut alia quadam fraude, ut gratuito vehatur iumentis alienis aut sibi arripiat viaticum ab hospitibus publicis aut rusticis, poena esse afficiendum mulctæ C Thalerorum, et speciali quadam poena falsi secundum eius indolem esse afficiendum. De hac diversa falsi indole ita iudicat *Nehrman:* "Syngraphi, quibus ad fraudes exercendas illi abutuntur, muniti sunt aut nomine ipsius regis aut præfecti provinciæ aut demum hominum singulorum; eæ igitur statuendæ sunt poenæ, quæ determinatæ inveniuntur in §. 26. seq. h. c. (ubi de adulteratione litterarum agitur); si vero fraus eius est generis, quod exponitur in MB. Cap. 44, hoc legis caput adhibendum est in poena determinanda." [26]) — Statuisse videtur *Nehrman,* ei, qui falso syngrapho sit abusus, ut viaticum aut veniam adhibendi iumenta aliena sibi arripiat, præter mulctas illas C Thalerorum subeundam esse poenam, quæ constituta est in MB.

---

[25]) Vide eiusdem *Föreläsningar öfver Gift. B.*

[26]) *Inledning til then Svenska Iurisprudentiam Criminalem,* pag. 374.

Cap. 8, ne excepta quidem furti poena, quæ commemoratur in fine §. 1, si syngraphus speciem præ se tulit, quasi munitus fuisset auctoritate regis aut præfecti provinciæ, et si quæstus quidam illegitimus fraude est comparatus; quæ quidem si vera esset sententia, sponte efficeretur, ut hoc crimen gravioris esset indolis, quam illud, cuius mentio iniicitur in MB. Cap. 8. §. 1; id vero nullo modo concedere possumus. Dubio enim caret, quin crimen, de quo iam agitur, sive consilium respiciamus, sive damnum inde exortum, sæpissime non tam grave sit habendum quam illud, quod respicitur in capite iam citato. Propius ad sensum legislatoris accedere videmur, si statuimus, mulctam illam C Thalerorum poenam esse sufficientem damni illati, cuius compensatio præterea est reddenda, et poenam illam furti, quæ commemoratur in MB. Cap. 8. §. 1. heic non esse adhibendam; fraudem vero secundum indolem ei propriam poena speciali esse afficiendam, ut syngraphus falsus auctoritate regis aut præfecti provinciæ munitus non graviorem afferret poenam, quam quæ, excepta poena illa furti, constituitur in MB. Cap. 8. §. 1, secundum quem legis locum scelestus aut virgis est cædendus aut carcere cum pane et aqua coërcendus. Quæ attulit *Nehrman* ad poenam huius fraudis accuratius determinandam, si eius sit generis, quod commemoratur in MB. Cap. 44, nullo modo valent ad rem ulterius illustrandam, sed potius errorem facile excitare possunt. Eis enim facile aliquis in eam induci posset opinionem, quasi crimen contra BB. Cap. 28. §. 14. secum duceret poenas utroque loco constitutas; quæ tamen minime fuit sententia legislatoris. In MB. Cap. 44. mentio quidem iniicitur fraudis; ibi vero huic ipsi fraudi nulla constituta est poena, sed poena duplex furti toti crimini est proposita. Per se patet hoc præcepto nihil contineri, quod valeret ad determinandam poenam qua fraus, quæ commemoratur in BB. Cap.

28. §. 14, per se sit afficienda. Si vero nihil aliud Celeberrimo *Nehrman* fuit propositum, nisi ut observaret, crimen contra MB. Cap. 44. commissum, puniendum esse secundum hunc ipsum legis locum, non vero secundum BB. Cap. 28. §. 14, talis observatio hoc loco omnino fuit supervacanea, cum nihil omnino conferat ad quæstionem, de qua agitur, illustrandam. Qua poena fraus illa, quæ commemoratur in BB. Cap. 28. §. 14, cum non cernitur in adulterandis syngraphis aut aliis litteris, sit afficienda, non facile est diiudicare.

In HB. Cap. 15. §. 4, ubi agitur de socio, qui in suum emolumentum fraude socio damnum affert, constitutum est, scelestum e societate esse exterminandum, etiamsi nondum sit tempus consociationis præterlapsum, et ex parte illius ei, cui damnum est illatum, compensationem, ab arbitris vel iudice æstimatam, esse tribuendam; deinde vero additur, fraudulentum pro ratione sceleris commissi esse puniendum. Ad hunc locum explicandum hæc observat *Nehrman:* "Vocabulum falsi in HB. Cap. 15. §. 4. explicandum est secundum rationem sceleris, ad quod refertur; quod quidem interdum est furtum, in quo casu scelestus est puniendus ut expositum est in capite proxime antecedente seu tertio; interdum vero adulteratio litterarum, in quo casu poena est determinanda secundum ea, quæ tradita sunt in §. 26. et seq. h. c." [27]) — In dubium vocari nequit, quin adhibenda sit poena eis constituta, qui litteras adulterant, cum socius talem iniit viam ad metam sibi propositam assequendam. Quæstionem vero, num hoc fraudis genus interdum ut furtum sit considerandum, non rite solvisse nobis videtur auctor clarissimus. Quod legislator delictum socii, qui clam sibi arripuit bona societatis communia, non ad furtum retulerit,

---

[27]) *Inledning til then Svenska Iurisprud. Crim.*, pag. 374.

vel ex eo apparet, quod hoc delictum in MB. Cap. 31. sub titulo furationis rei sociæ *(Bodrägt)* locum obtinuit iuxta delictum coniugis, qui bona alterius clam sibi arripuit, aut liberorum, qui eodem modo bona parentum in potestatem suam redegerunt. Hoc delictum a furto non in eo tantum differt, quod arripiens ipse particeps sit rei surreptæ, sed etiam, idque præcipue, in eo, quod fiducia mutua et singularis postuletur, si iungi possit societas, qua iunctis viribus tendatur ad metam communem. Fiducia longe maior postulatur inter eos, qui eïusdem sunt familiæ, præcipue cum hi non modo vinculo iuris sed etiam vinculo ethico inter se sunt coniuncti. Quamquam mutua sociorum fiducia, si cum fiducia eorum mutua conferatur, qui eiusdem sunt familiæ, inferioris est naturæ, tamen nobis, ut iam supra est observatum, [28]) is, qui tali frustrata fiducia bona surripit societatis communia, hac ipsa re potius reus esse videtur falsi quam furti. Quod vero legislator ipse eandem foverit sententiam, tum ex eis apparet, quæ iam sunt allata, tum etiam ex eo, quod in HB. Cap. 15. §. 4. expresse usus est vocabulo falsi *(bedrägeri)* atque, ut sensus huius vocabuli facilius perciperetur, addidit hanc determinationem: et in emolumentum suum *(och för sin egen nytto)*. Hæc enim vocabula voci falsi non sunt opposita, ut ex eo apparet, quod legislator adhibuit particulam copulativam, qnam ut pro particula disiunctiva hoc sicut aliis plerisque locis positam esse iudicemus, nulla omnino ratio suadet. Cum igitur legislator statuisse videtur, delicta, quæ socius in socium propter emolumentum suum committit, ad crimina falsi esse referenda, et actus, quo socius bona societatis communia clam surripit, emolumentum ipsius respicit, a sensu legislatoris recedere nobis non videmur, si talem actionem potius ad crimen falsi quam furti referimus. Non

---

[28]) Vide pag. 24. supra.

est cur effato Clarissimi *Nehrman* supra iam allato in eam inducamur opinionem, quod HB. Cap. 15. §. 4. respiciat furtum a socio commissum, sed MB. Cap. 51. delicta indolis levioris; nam in loco posteriori de delicto socii nihil aliud obvenit, nisi quod iam expressum invenitur in HB. Cap. 15. §. 4, quia surreptio bonorum clandestina comprehendenda est in illa formula, qua agitur de socio damnum socio inferente in emolumentum suum. Nec loci illi, quod ad poenas indicatas attinet, sibi invicem repugnant. Ex his apparet nullam idoneam adesse rationem, cur statueremus legislatorem in MB. Cap. 51. aliud respexisse delictum socii, quam quod iam in HB. Cap. 15. §. 4. descriptum invenitur. Legislator præterea in MB. Cap. 51. non solum locutus est de socio, sed etiam de aliis, qui in eandem classem sunt relati; et in hoc loco non modo diremit quæstionem, utrum actio publica in his casibus intendenda esset nec ne, sed etiam protulit determinationes illi et his communes. Ex eis quæ iam sunt allata patere videtur, ea, quæ attulit *Nehrman* ad explicandam rationem, qua delictum, quod commemoratur in HB. Cap. 15. §. 4, sit æstimandum et puniendum, non continere normam, quam iudex sequi posset. Legislator potius nobis innuisse videtur, quod hoc delictum poena mitiori quam furtum sit afficiendum; sed difficillimum videtur certam invenire rationem, quæ in poena accuratius determinanda posset adhiberi.

Ex eis quæ iam allata sunt exemplis in aperto esse videtur, quantis prematur haud raro iudex difficultatibus, cum in eo est, ut quærat regulam quandam, quam sequi posset in poena constituenda eorum criminum falsi, de quibus codex iuris non nisi obscura et ambigua præcepta continet. Via certa ad hanc quæstionem difficillimam rite solvendam nemo progredi posse nobis videtur, nisi prius in ordinem accuratum congesserit præcepta de criminibus falsi, quæ in codice iuris plerisque in locis dispersa adsunt, ut tali

modo obtinuerit conspectum totius ambitus horum criminum, et viam muniverit ad comparationem iustam inter species affines instituendam. Hac methodo adhibita, sperare licet fore, ut, casibus similibus inter se accuratissime collatis et ratione legis probe perspecta, quantum fieri possit, certam inveniamus rationem, quam sequi possimus in adhibendis eis iuris nostri locis, qui iam obscuri, dubii et ambigui apparent. Cum vero limites angusti, quibus circumscripta est hæc pars dissertationis nostræ, impediunt, quo minus talem conspectum iam exhibeamus, nobis liceat eum differre in partem huius dissertationis posteriorem olim prodituram.